



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 4. in inhospitales lesuli hostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

in contemptum ac confusionem sempiternam vœnumdabit, qui jactantiâ tuâ enormem supremo Regi ac Domino contemptum intulisti.

S. 7.
Jactantia
sui est con-
temptus
DEI.

Jactantia sui est contemptus Dei, inquit Theophylactus; cum enim quis non Deo, sed sibi sua bona tribuit; quid hoc aliud, quàm negare Deum est, & ei adversari? propter hoc enim, quòd confidunt in seipsis, non totum hoc Deo tribuunt; sed alios per hoc exinaniunt. quare mirum non est, si Deus resistat: *tanquam contumeliæ suæ propulsator veluti suscipit adversus superbos speciale certamen* S. Ambrosius serm. 7. in ps. 118. at quis unquam restitit ei, & pacem, victoriam, felicitatem habuit? quis duellum cum

Deo iniit, & seipsum non ferit, perdiditque? denique nè nimius sim, infigat supremum jactabundis aculeum apicis clarævallensis: *Nemo vestrum velit laudari in vita, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris.* Ad malam crucem cum his furibus, ad Amanis patibulum cum ejusmodi thraasonibus, ad corvorum odæum cum talibus ebuccinatoribus, ubi suas semper laudes audiant procrastinari.

S. Bernardus serm. 13. in cant.



PHILIPPICA IV.

In inhospitales Iesuli Hostes.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Videbit omnis Caro salutare Dei, Luc. 3. v. 6.

S. I.
Quomodo intelligendum, quod omnis caro videbit salutare DEI.



Omnis carnis nomine homo intelligitur, qui caro propterea appellatur, ut acutè notavit Hieronymus in c. 40. v. 5. *Isaiæ quia prius, ante Christi adventum, Spiritum Sanctum non habebat.* Omnis ergò homo videbit Salutare Dei, quod os Domini locutum est. at quando videbit? in die novissimo? ità quidem Augustinus, Gregorius, Remigius, Antonius Paduanus sentiunt; obstat tamen, quòd Isaias & Ioannes de primo Christi adventu agant, non de secundo. Aptius proinde Cajetanus verba Prophetæ non de vi-

sione actuali, sed de potentia videndi accipienda existimat, quia videri ab omnibus Salvator poterit, quantum ex parte Salvatoris est, qui omnes ad se venire desiderat; imò ab omnibus ipsemet recipi in hospitium cordis postulat, stat enim ante ostium & pulsat. *aperi mihi soror mea sponsa*; quamvis ex omnibus paucissimi sint futuri, qui videre salutare Dei seriò desiderabunt. *Amor oculus est, & amare videre est*, inquit D. Augustinus; videre Iesulum nolumus, quia nolumus amare. quod primitus humanato Deo accidit, idem sibi hoc anno, in hac urbe natali suâ luce accidere senti-

Cant. 5. v. 2.

S. Augustinus de grad. charitat.

et,

et, in propria enim veniet, & suum non recipient. Non recipient per aures, quas verbo Dei occudent; non recipient per os, quod fumendæ proximis festis Eucharistiæ non aperient; non recipient corde, quod divinis inspirationibus obserabunt; non recipient oculis, quos fidenter in cœlum attollere, aut in devotam Iesuli effigiem figere negligent; non recipient manibus, quas extendere ad pauperem, & in egeno Iesulum stipe donare dedignabuntur. ò inhospitalis Caucasos! ò feris efferatioris homines! ò peccatorum omnibus marmoribus, quid inferis ipsis (à quibus receptum in descensu suo Christum fuisse credimus) longè duriora. Contra inhospitalis ejusmodi peccatores, utinam tam feliciter dicam hodie, ut auferatur à nobis cor lapideum, & detur cor carneum, omnisque hic præsens caro videat festis proximè secuturis salutare DEI.

Prudenti observatione adnotavit Chrysoströmus homil. 9. in Ioann. quod recipientibus Christum committatur filiatio divina: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, non recipientibus verò nullum assignetur supplicium. quid non dicis Joannes eorum etiam supplicium, qui eum non receperunt? ita enim majorem in modum eos perterrere & duritiam illam ingratiitudinis mollire poterat. & quid causæ putamus esse, quod supplicium eorum non describatur, quotquot non receperunt eum? defuere Joanni verba, quibus condignè describeret parata inhospitalibus Iesuli hostibus tormenta. Et quod gravius excogitari potest supplicium, quàm receptione Iesuli fieri indignum? sicut nulla major peccati poena esse potest, quàm ipsummet, peccatum. quàmnam igitur gratiã il subtrahisti perguit Chrysoströmus, &

quodnam majus supplicium esse potest, quàm si eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint; sed sponte suã, tantã se nobilitate, tanto honore indignos efficiant. nullum dirius supplicium, quàm non recipere Dei filium.

Beatissimi illi cœlorum inquilini & deitatis filij, angeli inquam, ingentes Verbo gratias referunt, quod humanam assumere naturam dignatum sit, quãtò magis id facere decet homines, propter quos salvandos in terras descendit? Considerat venerabilis Bedaavidissimè advolasse angelos in stabulum, & aspectu bellissimo infantis sese oblectasse: non solum immortalẽ Deitatis magnificentiam sed & assumptæ ejus humanitatis claritatem semper aspiciere gaudent. Similia sibi imaginatur S. Thomas Villanovanus serm. de part. Virg. millia angelorum flexisse ad præsepe, interque rusticos adorasse neonatum: quia Rex angelorum jacet, ibi Principatus & Potestates, Cherubini ac Seraphini, ibi Reges & pastores etiam jumentis permixti communem creatorem adorant. nullus contemnit alium, nullus ibi ait: quis es tu? sed mirabili concordia angelici Principatus suæ celsitudinis ac dignitatis obliti, jumentis associati non dedignantur Dominum inter rusticos adorare. Eodem veniendi cupidus Chrysoströmus homil. 2. in Luc. ò si mihi, inquit videre liceret illud præsepe, in quo dominus jacuit. ò dulcis dies, & verè dulcis! dulcis hora, quã Salvator mundi positus fuit in præsepio! promitto vobis filiolus, & certus sum, quia in hac die, si quis coram præsepio devotus fuerit, quodcunque petierit dabitur ei. Quod si angelorum exemplo non traheris, caco dæmonum certè minæ & sarcasmi te impellant ad debitam nascituro Iesulo reverentiam & obsequium exhibendum. Narrant veterum

S. 3.
Reverentiam erga Iesulum docemur ab angelis & dæmonibus; at multi Iesulum ignibus male excipiunt.

S. 2.
Cur supplicium eorum non exprimitur, qui Iesulum non recipiunt.

montumenta Patrum, eremitæ cuidâ ad verba illa : *Verbum caro factum est*, caput non submittentem sonantissimam à Dæmone impactam esse alapam dicente : si propter me Verbum caro factum esset, non ad terræ modò pavementum totum me submitterem ; sed in imum terræ centrum deponerem. Pudeat te ignavissime homuncio caput illi non submittere, qui propter te inclinavit cœlos & descendit. Si has sannas merebatur neglectus reverentiæ, quibus maclanda erit suppliciiis turpissima repulsa incarnato Verbo inferri passim solita, quòd in propria veniens à suis non recipiatur ! *sui eum non receperunt*, qui illi *sui* ? filij patrem, servi Dominum, clientes patronum, fratres fraterculum ; *sui* vocati ad regnum, pari nomine insigniti, de copiosa hospitij mercede asscurati. Nonnulli eum recipiunt, sed ut turpius ejiciant. Eliam puerulum vidit parens imponi cunis igneis, involvi fasciis igneis, & lac maternum scintillis flammantibus ab astantibus genis aspergi. Ignis hi cœlestes & innoxij fuere, quibus involvi & nutriri Elias infans uisus est ; at uerò ignes, quibus malignus mundus Iesulum involvere nititur, infernales sunt. Nato Virginis filio nunquid non cœlum novo insolentis cometæ jubare arsit ? arsit & Herodis Regia igne furiali. an nò Iesulus *sax ignis in fœno* ? sed & dæmon facem accendit in fœno illo, de quo Isaias c. 40. v. 6. *omnis caro fœnum*. Sic hodièque ignibus luditur & linguis à gehenna inflammatis aut actionibus superstitiosis sacrâ Nativitatis nocte exerceri solitis quasi missilib' ex inferno ignibus illuditur. Hoc hoc est imponere in cunas fasciâsq; igneas Iesulum, & favillas illi in os ingerere. S. Elia ubi es ? ò fulmina cur quiescitis ? ò severa Justitiæ dextera quid

Zach. 12.
v. 6.

moraris ? *inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis ; dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt. pones eos ut clibanum ignis, dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*. Pf. 20. v. 9. quin ignes ignibus restinguimus, & cum Seraphinis, si non ardemus, ardere certè desideramus, atque cœlestibus ignibus nos indignos, dignissimos verò scelestorum æternis ignibus nos proclamamus ?

Solimannus Turcarum tyrannus jufferat Bajazethem parvulum, strangulari, idque Eunuchò Prusæ commiserat ; adfuit cum fune lictor. ò Iesule quàm timeo, nè idem hoc tibi accidat, pro vinculo natalitio funem fortè aliqui tentabunt tuo facerrimo pulcherrimòque collo injicere, ut cogare ingemiscere : *funes peccatorum circumplexi sunt me*. Consuetudo pejerandi, blasphemandi, fornicandi, funes sunt ; peccata superbæ, in justitiæ, iracundiæ laquei sunt, his Iesulum ligamus. ò infelix infantule ! Funes injicere est, ut ait Apostolus Rom. 1. v. 18. Veritatem Dei in injustitia detinere, pejerare scilicet, & falsum dicere testimonium. funes sunt illæ aureæ catenæ, argentea cingula, armillæ & monilia contra justitiam detenta. sic ligatur Iesulus. at erit, aliquando tempus, cum invictus iste Samson disruptis funibus voto regio satisfaciet, & *pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum* ; veniet illis laqueus, quem ignorant, & laquei mortis præoccupabunt eos.

Eunuchus ille, cujus suprâ meminimus, commiseratione erga formosum puerum motus, non potuit in animum inducere, ut strangularet innoxium, sed satellitem aliquem ad patrandum facinus pretio conduxit. Verùm nè hic quidem

§. 4.
Qualia
vincula genethliaca
Iesulo à nonnullis
injiciantur

pf. 118. v.
61.

pf. 10. v. 7.

dem mandatum dedit effectu, cum enim funem jam iniecisset collo, infans roseis labellis arrisit, oculis stellis scintillavit, brachiolis extentis manum carnificis amplexatus ad osculum attraxit. ô peccatores! ô crudelissimis crudeliores tyrannis! Iesulus arridet, & cum risu non proficit, plorat, imploratque fidem ac clementiam vestram, ecce oculos amabiles carbunculis lucidiores, magnete, nisi vos adamantes essetis, efficaciores (magnes enim præfente adamante vires deperdit) cur funes non abjicitis, cur misericordiæ locum negatis? cur non desistitis peccare? frustra ego ista! nemo movetur, nemo miseretur, ex ijs inquam peccatoribus, qui peccati mortalis sibi conscij aut actu molientes aliquod piaculum his festis committere hic adsunt; audiunt, & perdurant. Repetam licet millies, quod Patriarcha Ruben pro fratre suo Josepho pronunciavit: *nolite peccare in puerum, frater & caro nostra est, peccabunt nihilominus, & carni ac sanguini suo non parcent, ne parcere illis possit Deus, sed veniat super eos tribulatio, & sanguis incarnati Dei de manibus eorum requiratur.*

Genes. 42.
v. 22.

§. 5.
Memorable
historia ex Can-
tiprat. lib.
2. apolog.
c. 1. §. 13.

Narrat Thomas Cantipratanus religiosum Sacerdotem ex divi Bernardi familia negotiorum causâ abiisse in villam cœnobij eo ipso tempore, quo ad natalitia Salvatoris festa piè obeunda sacri profanique homines disponere se consueverunt tempestas erat perfrigida austerum gelu, nivibus contexta omnia. & ecce in densa rigidâque nive federe, conspicit puellum formosissimum totis artubus contremiscentem, calidissimisque lacrymis rigorem nivium colliquantem. Non potuit non virum religiosum intima pueri elegantissimi tangere commiseratio, cujus amplexandi fovendique

gratiâ equo desilit, in brachia parvulum attollit, calentibus osculis gelu expellit, lacrymis lacrymas miscet, & unde huc devenisset, requirit. Tacebat infantulus, quæstiones nihilominus congeminabat Religiosus & ubi mater ejus esset rescire percipiebat. fatigatus quæstionibus & precibus parvulus, in validos ejulatus erupit, exclamavitque: *heu me! heu me! quomodo gemitus continerem & lacrymas, qui ab omnibus desertus sum, ut vides; in frigore sedere cogor, nec est, qui foveat; solus esse cogor, non est, qui hospitio recipiat; fame sitique perire cogor, non est, qui alimenta præstet; heu me miserum! heu me derelictum!* ah dulcis parvule, reponit religiosus, parce lacrymis, parce singultibus, parce lamentis, ego te tecto lectoque calido fovebo, ego te quantum fas est, frugaliter enutriam, ego tibi in matrem ero patrêmque. Dixit & inter brachia arctius stringens parvulum pallio involvit, & unâ equum conscendere tentavit; at in ipso ascendendi conatu exiit de geruli sui brachiis infans, & momento disparuit. Agnovit tunc primum, cum amisisset, quem tenuerat Religiosus, virginis videlicet filium, cœlorum delictum, mundi salvatorem, cujus desiderio inflammatus in terram decedit & fletibus ac suspiriis ad animi usque deliquium indulsit, donec tandem in nivibus à famulo, quem in villam præmiserat repertus, & in equum levatus, villam tenuit, ubi tamen aliud agere non potuit, quàm nocte totâ suspirare, lacrymari, & identidem ingeminare: *ah parvule! ah speciosule! ah amabilis nimis! cur me dereliquisti? cur tam citò evanuisisti? cur ego te perdididi? nec consolationem admisit aliam, quàm collacrymantium gemitus ac suspiria super formosissimi pueruli jactura, seu potius turpissima*

suma mortalium repulsa atque injuria, quâ Amorem incarnatum afficiunt, dum de cordis sui hospitio dulcissimum hospitem repellunt. Quæ cum enarrasset Cantipratanus, subjungit: quis hominum sine lacrymis audire potest piaculum tale ac tantum, quod Filius unicus Patris, Deus de Deo & Conditor univerforum hospitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis refrigerante charitate multorum, non est, qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat Patris placitâ voluntate involuat & foveat devotionis sinu, veste contegat charitatis. Hæc Cantipratanus.

§. 6.
Inhumanitas in Iesulum in die judicij severissime plebenda.

Matth. 25.
à v. 41.

Tam grande & intolerandum istud barbaræ inhospitalitatis crimen est, ut ceteris quasi dissimulatis solum hoc in novissimo judicij die producendum, & tanquam scelerum omnium complementum, ac præcipua reprobationis causa sit assignanda: *tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esuriivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitiivi, & non dedistis mihi bibere; hospes eram, & non collegistis me; nudus eram, & non cooperuistis me; infirmus (in fascijs) & in carcere [Bethlehemitici stabuli] & non visitastis me.* auditis principem damnationis causam! quia hospes Iesulus collectus non est, esuriens ac sitiens Iesulus suspirijs ac lacrymis nostris pastus non est, nudus & captivus Iesulus nec purpurâ charitatis, nec bysso puritatis à nobis vestitus, nec visitatione amica recreatus est. Hoc erit potissimum iræ Divinæ, & decretoriæ in reprobos sententiæ incentivum, quia *justissima æquitas est*, inquit Euthymus in c. 25. Matth. *ut immanitas inhumanis, & misericordibus misericordia re-*

pendatur. Item maledicti, qui venire ad benedictum Patris misericordiarum filium, ab eoque æternam recipere benedictionem neglexistis; ite in ignem æternum, qui scintillulam sinceri amoris erga amabilissimum parvulum concipere in cordibus vestris neglexistis. ite in famem sitimque ravidam, qui micâ panis vel frigidâ guttulâ subvenire Deo homini renuistis. ite in nuditatem probrosissimam, in carcerem ac vincula horrida, in societatem dæmonum intolerandam, qui immisericordem inhumanumque diabolum imitari, quàm humanitatis obsequia humanato Verbo deferre maluistis. justissima est æquitas, ut immanitas inhumanis & misericordibus misericordia retribuatur. Quis nudum spernit mox futurum judicem? ait elegantissimè Basilus Seleucus orat. 26. quis universi judicem damnat siti? novit Christus pauperum manibus donisque capi (sicut à Pastoribus captus est) novit pro munere longa supplicia remittere, quodsi benevolentia ejusdem uti nolumus, vertetur in furorem favor, in severitatem clementia, amor in odium & ambulationem æternam.

Atque ut magis immanitatem inhumanitatis nostræ in repellendo ab hospicio cordis nostri Iesulo penetremus, fingamus augustissimum Imperatorem nostrum Leopoldum ex clementissimâ benevolentia erga civitatem hanc, unigenitum suum Josephum cum immensis gazis, rarissimis privilegijs, amplissimis muneribus in hanc urbem mittere, ut hospitem hic diebus pauculis agat, & divitiarum gratiarumque thesauros in univerfos dispertiat incolas; quodsi serenissimus iste hospes in urbem non admitteretur, sed obseratis portis, elevatis pontibus sublicijs, reductis ferratis ca-

§. 7.
Inhumanitas ista ex similitudinibus elucescit.

raractis juberetur extra moenia in
coemeterio publico, sub Jove fri-
gido, divertere & pernoctare, an-
non digna urbs Cæsaris irâ, & plus-
quam Trojano Solymitanoque ex-
cidio? fingamus Catholicum Hispaniarum
Indiarumque Monarcham Carolum literas gratiarum plenas
manu propriâ exaratas ad pauper-
culum aliquem urbis nostræ civem
clementissimè mittere, in iisque &
vellus aureum & *Grandis* titulum &
longè copiosiores auri gemmarum-
que thesauros, quàm regina Saba
Salomoni attulerit, munificentissi-
mè offerre; quodsi subrusticus ci-
vis laureatas Regis literas vix oculo
dignaretur; sed conspueret, con-
culcasset, & prunis superinjectis exu-
reret, quid de barbaro ejusmodi ci-
ve sentiendum? quibus oculis à Ma-
gistratu, quibus vocibus à populo
excipiendus? in quod relegandus
exilium, aut quibus mactandus pœ-
nis, in culpæ hujus suæ abolitionem?
atqui multò crudeliùs in hu-
manissimum supremi cœlorum ter-
rarumque Imperatoris unigenam
nos ingratiissimi perfidissimique
mortales delinquimus, dum à cor-
dis nostri diversorio eundem repel-
limus, oblatos gratiarum thesau-
ros & cœlestis gloriæ titulos respui-
mus & conspuimus, cogimusque
illud hodie dum reperere, quod o-
lim dilectæ suæ Brigittæ questus
fuisse legitur: *ab omnibus neglectus
sum, ab omnibus expulsus sum, quia
nemo in dilectione sua habere me de-
siderat.* Deus propter homines fa-
ctus est homo (verba Augustini c. 5.
& 6. manual.) ut uterque sensus ho-
minis in eo beatificaretur, ut resi-
ceretur oculus cordis in ejus divi-
nitate, & oculus corporis in ejus
humanitate; in similitudinem ho-
minis Deus apparuit, ut familiari-
us ab homine diligeretur. Verùm
nemo eum in dilectione sua habe-

re desiderat; sed amorem odio, be-
neficia maleficijs, humanitatem
barbarie compensat, ac velut alter
sanguinarius Joab affabili Amasæ
pro osculo pugionem, & vulnera,
& funera rependit.

S. Coletæ virgini in ferijs nata-
litijs precanti, dedit sese in conspe-
ctum Virgo Mater, & filium obtu-
lit, non qui in sinu luderet aut Co-
letæ arrideret, sed qui vulnere su-
per vulnus in tenerimo corpusculo
concisus, singultibus & lacrymis
suis commiserationem opemque
exposcere videretur. adjecit Deipa-
ra illam hodiè que facinorosorum
hominum feritatem esse, ut Chri-
stum vix natum crudeliùs, quàm Ju-
dæi cruentent, super dorsum fabri-
cent, & unum faciant in toto cor-
pore vulnus. quæ Christianorum
barbaries longè exuperat excœca-
torum rabiem judæorum; siqui-
dem post tot amoris argumenta,
post tot accepta charismata, immor-
talem Iesulum iam in cœlis regnan-
tem non tantùm diversorio exclu-
dere, & in fœtidum ablegare stabu-
lum, sed fauciare & crucifigere in-
cunis attentant. ò furor! ò rabies!
ò plusquàm belluina immanitas!

Scimus ab Elephanto Madriti
infantum, quem in nivibus fri-
gore propè enectum repererat, ex
naturali commiseratione nivibus
extractum, forùmque, & sub tectum
deportatum, loco tuto repositum
fuisse. quid? quòd à brutis animan-
tibus infantuli lactati sint & educa-
ti ob eum, quem natura irrationa-
libus quoque animantibus ingenu-
it, erga innocentem infantiam com-
miserationis affectum. Hieronem
& Melitæum apiculæ aluerunt, Se-
miramidem columbæ, quas postea
Syri in gratiam Reginæ suæ in ve-
xilla transtulere, divinisque affecere
honoribus. Ptolomæum & Ægi-
stum paverunt aquilæ & quidem
D san

Engelgr. p
2.
Lucis Evæg
Dominica.
Quinquag.
§. 2. ab ini-
tio.

§. 8.
Bestiæ in
infantulos
benignæ.

Rev. c. 51.

sanguine coturnicum, Cyrum canis aluit, Paridem cerva, Æsculapium & Ægistum Capra, Telephium & filiolum S. Genovesæ Cerva, Lycastum & Parrhasium lupa, quæ recens effusos catulos abjecisse dicitur, ut infantulis lac ad pastura sufficeret, Janus à serpentibus mellecristissimum suggerentibus est nutritus. ita manifeste in hominem feræ, & homo in hominem Deum speciosum præ filiis hominum, decorum & amabilem nimis adeo efferatur, ut pro melle fel, pro lacte absinthium, pro fomentis venenum offerat, ac plusquam ferinâ imò dæmoniâ rabie in authorem suum debacchetur? ò crudelitatis monstrum! ò tyrannidis portentum! ò Deicidium non unâ morte, non unâ gehennâ, non unâ, si dicere fas est, æternitate; sed millies millenis mortibus & gehennis multandum!

§. 9.
Mudum
Iesulo ho-
spitium ap-
paretur.

Non ita imposterum ò homo, si quid hominis in te est cum Homine DEO proximè nascituro agito, sed quod iteratâ monuit sententiâ Chrysologus ferm. 1. & 2. de Nativ. *Filium, qui tibi natus est, spe magnâ venerare, fide suscipe, amplexare charitate*, habeat in te; ubi caput suum reclinet, sit illi non tantum locus in diversorio cordis tui, sed totum eidem diversorium cede & configna. Ambrosium admonentem accipe lib. 2. in Luc. *Filius Dei in terris, ut tu sis in cælis; ille locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cælis mansiones*. nec illius obliviscere, quod Ambrosij Discipulus Augustinus dixit: *non erat Iesulo nisi angustia in terris, ut tu locum cordis tui sibi proprium dilatares*. Dilata ergo, & præpara cor tuum, ut sit desiderijs augustum, puritate immaculatum. Fridericus Imperator venationibus addicissimus, cum aliquando in vicina

S. August.
apud D.
Bonaven-
turam.

cujusdam nobilis venaretur, invitatus ab hoc ad prandium est, acceptavit Imperator & comparuit, sed nobilis parum ingenuè egit, eò quod hypocaustum expurgari non fecerit, in quod ingressus Imperator, ut vidit sus deque jacere omnia, miratus primùm, tum indignatus, venationum præfectum adesse jussit inquit: *en stabulū pro tuis canibus*. Severius porrò nobilem increpans: *si Imperatorem invitare volebas, si non ad divitem, certè mundam domum debebas invitare*, quo dicto hypocausto excessit, & foris sub Jove frigido mensam instrui jussit inquit: *malo sub cælo, quàm in cæno manducare!* Venator animarum nostrarum Iesus cor mundum à nobis unice requirit, ut in eo hospitetur, uberemque hospitij sui rependat mercedem. mavult certè in stabulo & cæno, quàm obscæno in corde commorari, aut cum impurato Dagon componi. Ludovicus 13. in venatione à nobili invitatus ad coenaculum nudis plenum imaginibus, cum per unum intrasset ostium, exiit per alterum; sequebatur nobilis & inclamabat: *Mane nobiscum serenissime Rex*. Cui Rex: *duc ergo ad locum, ubi oculos aperire possim*. Si Rex Christianismus tantopere obscenitatem picturarum sensit, quantò magis, qui inter lilia pascitur Iesulus, intolerabiles sibi esse ducet omnes veneras in corde tuo imagines, per quas impietatem Adriani Cæsaris renovas, qui in genethliaco Iesuli præsepio statuam Adonidis collocavit: Procul vanæ & profanæ imagines plenum cœlestib' desiderijs & affectibus amoris aureis, cor tuum sit, ut veniens Dominus noster Iesus Christus paratam sibi in eo inveniat mansionem.

* * *

PHI-